Vicipædia

Lingua Graeca antiqua

Lingua Graeca antiqua Ἑλληνικὴ γλῶσσα	
Taxinomia:	e linguarum Indoeuropaearum divisione sibi consistenti quam nonnulli Hellenicam appellant
Status:	status antiquus linguae Graecae
Sigla:	1 —, 2 grc, 3 gko
Usus	
Aevum:	a saeculo VIII a.C.n. cognita
Situs:	Graecia cum coloniis; etiam per regna Diadochorum imperiumque Romanum (praecipue orientale) adhibita temporibus nostris a multis eruditis cognita
Litterae:	Litterae Graecae
Scriptura:	Graeca

Familiae linguarum coloribus distinctae

Lingua Graeca antiqua est linguae Graecae status, qui fere ab 800 a.C.n. usque ad Medium Aevum duravit. Re vera lingua Graeca antiqua est variorum sermonum sive dialectorum copia. Quarum dialectorum investigandarum potissimi fontes sunt inscriptiones, nonnulli auctores litterarii grammaticorumque glossae. Antiquissima Graecae linguae documenta sunt tabulae scriptura quae lineari B dicitur, exeunte secundo millennio exaratae. Lingua harum tabularum Mycenica (interdum etiam Achaica) appellatur. Aetate geometrica, saeculo fere octavo a.C.n., cum fines linguae Graecae latius cum colonis panderentur, fines dialectorum Graecarum etiam stabiliri coeperunt.

Cum de lingua Graeca loquimur, duas praecipue res significamus:

1. Ramulum stemmatis linguarum Indoeuropaearum, subfamiliam Hellenicam vel Graecam, quae re vera ex multis linguis similitudine familiari inter se cohaerentibus constat.
2. Dialectum Atticam Athenis adhibitam, nempe sermonem Aeschyli Sophoclis Euripidis tragoedorum, Aristophanis comoedi, Lysiae Isocratis Demosthenis rhetorum, Xenophontis rerum gestarum scriptoris, denique Platonis Aristotelis philosohorum. Atticum sermonem ferme instar linguae Graecae antiquae esse ex eo constat quod grammaticae ad linguam Graecam antiquam docendam conscriptae illo ipso sermone nituntur.

Quod ad antiquissimam Graecam attinet, videas res ad linguam Mycenaeam et ad Proto-Graecam pertinentes.

Quod ad aetatem Hellenisticam attinet, videas rem ad linguam communem sive Κοινήν pertinentem.

Index

Dialecti

Spatium dialectorum Graecarum solet in quattuor classes maiores dividi.[1]

Unam legis e paginis de
lingua Graeca
disserentibus



Proto-Graeca (ca. 2000 a.C.n.)

Mycenaea (1600–1100 a.C.n.)

Graeca antiqua (800–300 a.C.n.)

Dialecti: Aeolica, Arcado-Cypria, Attica, Dorica, Ionica

Koine (300 a.C.n.–600 p.C.n.)

Graeca Media (600–1500)

Neograeca (ab anno 1500)

Demotica, Catharevusa
Dialecti: Graeco-Calabra, Ievanica, Cappadociana, Pontica, Tsaconica, Cypria

Vide etiam
Alphabetum Graecum

Ionico-Attica

Nomen Ionico-Atticae vulgo usu receptum est, quia constat Atticam linguam prae omnibus aliis propinquam fuisse Ionicae. At antequam in maximam linguam litterariam crevit sermo Atticus, unius tantum urbis erat usus loquendi. Itaque pro Ionico-Attica lingua reapse praestat Atticam describi dialectum Ionicam continentalem. Ipsa Ionica dialectus est orientalis complectens oram Asiaticam ab Clazomenis fere ad Miletum, archipelagum Euboeamque insulam.

Aeolica

Aeolica sermones complectebatur praecipue Lesbiorum incolarumque orae Asiaticae a Smyrna septentriones versus usque ad Hellespontum. Sappho et Alcaeus, poetae Lesbii, Aeolice scripserunt magnamque habuerunt vim ad lyricam Graecam excolendam. Aeolica etiam apud Thessalos et Boeotos in usu habebatur, quamquam occidentalibus linguis vicinis mixta.

Dorica

De finibus et historia Doricae ambigitur. Arcadia excepta, Dorica in Peloponneso vigebat, unde per Cretam Theram Rhodum Coum usque ad meridionalem oram Asiae pertinebat; etiam in Sicilia et in Italiae parte meridionali Dorica vigebat. Dubium est, utrum etiam regiones Graeciae Caurinae fuerint Doricae, an ex propria dialectorum copia constiterit Graeca Caurina. Quod ad historiam attinet, secundum sententiam paene canonicam, Dores ab regionibus septentrionalibus in Balcanicam paeninsulam immigraverunt Peloponneso potiti. Sunt etiam qui Dores postea venisse negent.



Dialecti Graecae anno fere 400 a.C.n.

Arcado-Cypria

Sermo Cyprius erat clara propinquitate Arcadico sermoni coniunctus, qui in media Peloponneso vigebat.

De grammatica

Lingua Graeca, modo omnium veterum linguarum Indoeuropaearum, maxime inflectitur. Maxime archaica est ob conservationem formarum Protoindoeuropaearum.

Alphabetum

> Vide Abecedarium Graecum.

Exemplum

Platonis *Apologia Socratis* his verbis incipit:

> Ὅτι μὲν ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πεπόνθατε ὑπὸ τῶν ἐμῶν κατηγόρων, οὐκ οἶδα· ἐγὼ δ' οὖν καὶ αὐτὸς ὑπ' αὐτῶν ὀλίγου ἐμαυτοῦ ἐπελαθόμην, οὕτω πιθανῶς ἔλεγον.

ΟΔΥΣΣΕΙΑ

Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε·
πολλῶν δ᾽ ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω,
πολλὰ δ᾽ ὅ γ᾽ ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν,
ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων.
ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὣς ἑτάρους ἐρρύσατο, ἱέμενός περ·
αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο,
νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς Ὑπερίονος Ἠελίοιο
ἤσθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ.

Principium Odysseae Homeri.

Alphabeto Latino:

> Hóti mèn humeîs, ô ándres Athēnaîoi,
> pepónthate hupò tôn emôn katēgórōn, ouk oîda: egò d' oûn kaì autòs hup' autôn olígou emautoû epelathómēn, hoútō pithanôs élegon.

Latine:

> Quomodo vos, viri Athenienses, ab accusatoribus meis commoti sitis, nescio. Equidem ipse eorum opera paene sum mei oblitus, tam enim persuasibiliter locuti sunt.

De phonologia observationes

Tres series mutarum sunt: surda (π τ κ), aspirata (φ θ χ), et mediae (β δ γ).

Morphologia nominum

Si plus cognoscere vis, vide Declinatio prima linguae graecae antiquae, Declinatio secunda linguae graecae antiquae, et Declinatio tertia linguae graecae antiquae

Nomina sunt substantiva, adiectiva et pronomina, quae omnia numero, genere et casu declinantur.

Numeri

Lingua Graeca antiqua duo habet numeros grammaticos:

- Singularis: ὁ λύκος 'lupus'
- Pluralis: οἱ λύκοι 'lupi'

Tertius insuper numerus est

- Dualis: τὼ λύκω 'duo lupi'. Qui quidem numerus vim suam ab Protoindoeuropaea traditam paene omnino amiserat, quamquam interdum in usu habetur. Apud Homerum aliquantum plus valet.

Genera

In plurimis linguis Indoeuropaeis, nomina in genera grammatica dividuntur. Lingua Graeca tria habet genera:

- Masculinum
- Femininum
- Neutrum.

Casus

Ex octo casibus Protoindoeuropaeis lingua Graeca quinque conservavit casus:

- Nominativum
- Genitivum
- Dativum
- Accusativum
- Vocativum

Articuli

Nomina Graeca definitos semper articulos habent, quae desunt linguae Latinae. Indefinitos si articulos adhibere velimus, nobis articuli deficiendi sunt.

	Masculinum			Femininum			Neutrum		
	Sing.	**Dual.**	**Plur.**	**Sing.**	**Dual.**	**Plur.**	**Sing.**	**Dual.**	**Plur.**
Nominativus	ὁ	τώ	οἱ	ἡ	τώ	αἱ	τό	τώ	τά
Genitivus	τοῦ	τοῖν	τῶν	τῆς	τοῖν	τῶν	τοῦ	τοῖν	τῶν

Dativus	τῷ	τοῖν	τοῖς	τῇ	τοῖν	ταῖς	τῷ	τοῖν	τοῖς
Accusativus	τόν	τώ	τούς	τήν	τώ	τάς	τό	τώ	τά
Vocativus	ὦ	ὦ	ὦ	ὦ	ὦ	ὦ	ὦ	ὦ	ὦ

Morphologia verborum

Verba Graeca genere, modo, tempore, persona, numero conjugantur.

Genera

Verbis Graecis sunt tria genera:

- Activum
- Medium
- Passivum

Modi

- Indicativus
- Coniunctivus
- Optativus
- Imperativus

Tempora (et Aspectus)

Verba conjugantur aspectibus tribus; formae imperfectivae includunt praesentem, futurum, et imperfectum; formae perfectivae, restrictae ad aoristum, qui in indicativo, et perfecto perfectum atque plusquamperfectum includunt. Omnes aspectus omnes modos habent, coniunctivo et imperativo futuro absentibus.

Personae

- Persona prima
- Persona secunda
- Persona tertia

Notae

1. "Dialecti Attica, Ionica, Dorica, Aeolica": Conradus Gesnerus, *Mithridates: de differentiis linguarum* (1555) textus (http://gallica.bnf.fr/ark:/12148/bpt6k938671) f. 2r.

Nexus externi

- DiA. Morphologia Graeca (http://dia.phpnet.us)
- Index dictionum in lingua Graeca antiqua — Victionarium



Experimentum est pro Wikipedia in ***Lingua Graeca antiqua*** apud Wikimedia Incubator

- Ethnologue: Commentarium de lingua Graeca Antiqua (http://www.ethnologue.org/show_language.asp?code=GKO) **(Anglice)**
- Erasmi Roterodamensis *De recta latini graecique sermonis pronuntiatione dialogus (http://big.chez.com/asklepios/erasmus/pronuntiatione.htm)*
- 100 lectiones Linguae Graecae Antiquae (http://www.gottwein.de/grueb/gr000.htm) **(Germanice)**
- Itinera electronica (http://hodoi.fltr.ucl.ac.be/concordances/intro.htm) **(Graece, Francogallice)**
